Prop.es Primi Prædicatorum quas eorum Sententia continentur

1\. Efficacia auxilij diuinæ gratiæ ad actus supernaturales mouentis, non consistit in sola motione se tenente ex parte proponentis obiectum, per modum suadentis, quæ ab aliquibus dicitur motio moralis; sed potissime in motione intrinseca et reali, se tenente ex parte potentiæ per modum agentis seu perficientis, quæ item ab aliquibus appellatur motio physica; seu ad modum causæ Physicæ. Et hæc efficacia nullam ex parte hominis expectat, aut supponit congruitatem, sed Deum cum omnibus circunstantijs causat.

2\. Efficacia hæc pendet ab æterno, et absoluto Dei uoluntatis decreto, prædeterminantis in particulari ante præuisionem boni usus liberi arbitrij futuri; actus illos, quibus homo ad Deum conuertitur, iustificatur, et ad uitam æternam peruenit.

3\. Æternum hoc, atque absolutum suæ uoluntatis decretum, Deus executioni mandat in tempore, dum per dictum auxilij efficacis realem influxum in uoluntate receptum; ipsam uoluntatem, tanquam prima causa determinat iuxta modum suæ naturæ, ut uidelicet libere et infallibiliter tamen se ipsam, tanquam causa 2.da et proxima, determinet ad operandum, et operetur.

4\. Hoc itaque modo determinata uoluntas non manet omnino indifferens quo ad actum, licet plenissime quo ad potentiam.

5\. Vnde stante prædicta efficaci Dei motione, implicat in sensu composito, quod uoluntas dissentiat, licet semper possit, si uelit dissentire.

~~Sas proposit.~~es 1

UGR Biblioteca Universitaria